IOHANNIS RAICI,

Medicinæ Licentiati, & Mariæburgi Borussorum p. t. practici,

Tractatus

De

PODAGRA

Medico-Kimicus.



FRANCOFURTI,

In Officina Danielis & Davidis Aubriorum, & Clementis Schleichij.

ANNO post τὸ σαρκικὸν τοῦ χριστοῦ.

M[...]XXI.

Sereniſſimo, Celſiſſimo & Potentiſſimo Principi, ac Domino,

Dn. GEORGIO GUILHELMO

DEI GRATIA

Marchioni Brandenburgico, Sacr. Rom. Imp. Archicamerario, & Electori,

Pruſſiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Sedini, Pomeraniæ, Caſſubiæ, Vandaliæ,

nec non

Sileſiæ, Croſnæ, & Carnoviæ Duci,

Burggravio Norimbergenſi, Principi Rugiæ,

Comiti Marchiæ, & Ravenſpurgl,

Domino in Ravenſtein,

Domino ſuo clementiſſimo

Salutem, & felicitatem perpetuam.

Sereniſſime, atque Illuſtriſſime Princeps Elector

Domine Clementiſſime,

ANTIQVI cum *maximam Medicinæ utilitatem viderent,*

Medicos pro Diis habuerunt: Ipsiq; Reges, & Principes Medicinam exercuerunt, ut late refert Tiraq: de Nob. c.31. nec paßi sunt à civitate Medicos abeße. Longa rerum Series, longæ ambages, si sigillatim de Regibus, Principibus id omne foret edocendum. Vnus mihi instar omnium sit Magnus ille Constantinus Imperator. Quo enim affectu, quàm calido, quã paterno Medicos prosecutus est? Satis attestatur id, superq; l. 6. Medicos C. de profess. & Med. lib. 10. tit. 52. Prisca hæc rerum imago, Prisca inquam, quot, & quantis ingeniis incitamento fuit ad quærendos ad peni-

penitiora Medicinæ adyta aditus. Quandoquidem verò Genius, & Ingenium in Medicinæ cognitione peregrinum me, aut hospitem nollet esse; tot etiam, tantisque laborum & vigiliarum brabeis ab Imperatoribus Augustiss. à Regibus Potentissimis, à Principibus Illustrissimis clemẽtissimè, & favorabiliter propositis, indultis excitarer, incitarer: occœpi anno Salutis nostræ millesimo sexcẽtesimo tertio, emeritis Philosophiæ stipẽdiis, in Medicorũ castra trãsire, atq; pro Philumena uniuscuiusque nostra tuenda, Sanitatis studium puto, annos duodecim excubias agere, quoad

Quibus de sagittis anno 1620. sub novi anni frontispicio in vulgus emiseram nonnulla; sed eheu evẽta dicto citius sunt insecuta. Nunc de Podagra quædam in boni publici gratiã pro virili conscripta in vulgus patior emanare sub Hermetico quidẽ schemate; ita tamẽ, ut ne hybløos Galeni favos negligerem: aut ditia Hippocratis myrothecia spernerem. More igitur iam olim ad nos trallato opusculum hoc quale quale patrocinio suo destitui nolui. Idcirco illud humile Seren. Vestræ, iterumque humilime effero, non ignarus,

magna magnis offerunda esse; sed quod humilia hæc; imo humilis ego sub excelsa Ser. V. tutela tanquam sub Achillis clypeo humilima observantia desiderem delitescere, protegi. Quemadmodum humilima reverentia oro, exoro; ut pro mearum facultatum modulo hoc quodcunque V. Ser. Serenissimo vultu, & clementissimo non dedignetur suscipere.

Interea chartaceo hoc munusculo oblato, cum Æmiliani Synata calido affectu, ardenti voto clamo, adclamo:

Seculum regnes, feliciterque,
Serenissime Princeps Elector,
GEORGI GUILHELMI
seculum regnes, feliciterque.

Dabam

Dabam Mariæburgi septimo calendas Decemb. Anno post natum Jesum nostrum 1620.

Sereniss. Vestræ
Celsitud.

Subiectissimus

Iohan. Raicus Schlaccowaldensis Bohemus,
Medic. Licentiatus.

Lectori Cand. S.

CREDO te mirari, lector benigne, quid sit, quod de Podagra Hermeticè potius, quā qui fieri vulgo assoleat, scripserim! Nihil mirare. Podagra n. χέσει sua gradū superat vegetabiliū. At quæ Symbolo cōnectuntur ex eodē Symbolo explicātor. Symbolū quippe fundamentū est, quod propter alterū insit alteri. Symbolo aūt Podagra mineralibus cohæret, liquet vel ex sola curatione, & experiētia rationū victrice. Quare Hermeticè *de ea, & ex mineralibus scribere malui. Quicunque enim Naturæ facultatem, ad ea, ad quæ minime apta est, requirit, is cum ratione insanit.* Hipp. *lib. de arte.*

Erroneum est, καὶ σφαλερὸν Ki*miam à Medicina abiungi; Septasiariis*

riis

riis vero, aut, si quis honos, Pharmacopolis coniungi. Diætæ inventionẽ, atque cibariorum pisturam, & cocturam ad Deos retulit Hipp. *l. de prisc. med. Indignum idcirco nobis Hippocratis assectis Spargyriæ puritatem ad minorum gentium Deos, imo ad coquinas proscribere. Turpe est Medico divitis coloniæ notitia ad Pharmacopœos amandata inania tuguria cœco testimonio rimari. Aliud fuit consilium Mesues in antid. med. dist. 21. c. de ol. ou. qui Medicinæ studiosos ad Al Kimistas revocat, ut scil. rerum proprietates ibi addiscant. Nam multa igni commercio fiunt meliora, & latentem medicamentorum naturam propalant. Gal. l. de teri. ad Pis. c. 32. Vt enim nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu, ita Ex pyronomia latens medicamentorum natura sensui primo; deinde intellectui exhibetur*

ut eius mensura. Exorbitant igitur non leviter ii, qui Philosophiam & Medicinã à Kimia seiungunt. Quin potius Alkimia, Physica, & Medicina arctissimo cõtinẽtur vinculo. Hipp. *in Epist. ad Philopoem: Medicinam & divinationem arctissime cognatas esse probat ex eo, quod duarum harum artium unus sit Pater Apollo.*

Sequor. Kimiæ, & Academiæ unus idẽq; Pater est Cadmus, dictus ita voce Phœnicia, ducta vel à Syriaca Kedem, *vel ab Hebræa lingua matre* Kadmaah, *id est, antiquus, vel* πρεσβεύς *etiam. Hunc tradit Herod. Halicarnass. l. 5. hist. Ægyptios, & Græcos literas docuisse. Atqui is in septẽ tractatib. Herm. Mercurius trismegistus, vel Hermes appellatur. Constat igitur Cadmum illum Mercuriũ fuisse trismegistum; documento etiam*

eo,

 797

eo, quod Mercurium Bœoti apud Lycophrona vocarunt καδμιλον. *Ab hoc Cadmo Franc. Iun. l. de acad. c.* I. *academias deducit. h. m. A Cadmo Cadmia, ita dicebatur locus Studiorum à Gephyræis advenis institutus: hinc Attica cum Lybibus usitata* [illegible] *Acadmia, & moto scheva sub daleth, Academia est appellata, locus in quo homines liberalia studia docerentur. At vero & fodinas lapidum, metallorumq; & conflaturam eorum invenit, & docuit Cadmus, argumẽto est tabula nomine Zarah rectius Zaraph (id est purgavit, & probavit metalla,) super monumentũ suum erecta. Quantum igitur coniecturare licet, ab eadem Cadmia addito Arabico articulo Al, & immutata vel corrupta vocula AlKimiã dictam reor esse. Sicuti & Cadmia metallica, quæ*

apud Græcos ab eodem Cadmo nomen retinuit, Arabibus Aklimia dicitur. E forma v. corrupta, necdũ penitus sublata de origine fieri potest iudicium. Quia igitur Academia, & Alkimia ab eodẽ aut ore, ab eadem denominatione dependent, certe nõ video causam, cur ea disiungẽda sint studia. Porro, si eadẽ cum AlKimia habet & agnoscit Medicina principia, uti certe Hippocrates non obscure indicat, invicem secludẽdæ nõ erũt. Cadmus sive Mercurius Trismegist. 1. *tract.* Kim. *c,* 2. *Vnicuiq; naturæ tria inesse ait. Atqui ea Philosophi, Sal, sulfur, & Mercurium vocarunt. Non vero quòd sal, sulfur, & Mercurium vulgi pro principiis assumerent; nam & hæc mineralia ex illis sunt: sed quòd ex illis mineris tales essentiæ hypostaticæ, pro ut in natura sunt, abstraherentur,*

atque

atq; conciperentur, ut quia in illis horum principiorum proprietates, & signaturæ essent evidẽtissimæ. Licuit enim aliis quidditates, entitates, realitates, hæcceitates, plumbeitates, & alia sexcẽta ad infinitas insanias effingere: quidni eadẽ libertate philosophica ex veterrimis liceat Philosophis eiusmodi conceptus reales longe utiliores, & maiori cũ profectu cõiunctos reassumere? Sal itaq; est principiũ hypostaticũ cum vi fermentãdi, & coagulandi. Eius v. signatura est, ut intrinsecus sit fusilis metallorum instar, & fixus: extrinsecus autem combustibilis sit, & incinerabilis. Sulfur principium est hypostaticum cum vi maturandi, tingendi, homogenea attrahendi, heterogenea repellẽdi, tendendi à centro ad circumferentiam, & vicissim. Huius *signatura est, ut intra sit fixum olea-*

ginosum, sive pingue: extra inflammabile esse, & fugitivum. Flamma quippe est sulfur volatile. Mercurius est principium hypostaticum cum vi vegetatiua instauratiua. Huius signatura interna est fovere ignem potentem: externa vero est, liquidum, glutinosum, incombustibile, & frigidū esse. Atque hæc sunt illa tria principia Spagyrica ἐνεργητικὰ *à Mercurio sive* Cadmo *tr. j de* Kem. *c. 2. tradita, atque ut opinor ab Abrahami tempore usque accepta apud gentem*Kadmo*nitarum, qui Abrahami vixerunt seculo* Gen. 15. *retenta. Nec dubito, quin, ad Davidis usq; tempora, cognita fuerint hæc principia. Argumento est psalmus 65.* Et nubes tuæ, *inquit Regius Psalmista,* stillant dœschœn. *Per* τὸ dœschœn *nō certe innuitur pinguedo utcunque talis, qualem*

lẽ vel nomen Sabbal, *aut si quid grandius significandum fuisset, τὸ* ſæmæn *expreßisset: sed* ἕνωσις *horum trium intelligitur principiorũ, unde ubertas omnium. Nam τὸ* dœſchœn *primo significat pinguedinem, quæ sulfuris signatura est: tum cinerem significat: ita etiam accipitur* Lev. 4, & 6. *quæ signatura salis est: Denique τὸ* dœſchœ *germinationem significat, quæ signatura Mercurii est. Ita una hæc vocula* dœſchœn, *&* ἕνωσιν *trium horum principiorum in alimento innuit, & proportionẽ nutrimenti cum nutriendo tuetur. Ad rem: Tria hæc principia, ut genuina agnoscit Hipp. In lib.* περὶ ἀρχῶν *cũ inquit. Ac longo „ tempore incalescens, quod quidem ex „ terræ putredine (i. e. fermentatione, „ videsis l.1. de diæta) pinguedinem sor- „ titum est, & minimum humidi habet, „*

, *id citißime exuſtū oſſa produxit. Atqui exuri poſſe, & fermentari Salis ſignaturæ ſunt, cuius dem naturæ & oſſa*
» *ſunt.* Porro ibidem ait Hipp. *Quæ*
» *vero naturam glutinoſam ſortita ſunt,*
» *& frigidi communionem habent, ea*
» *neque excalefacta exuri potuerunt,*
» *neque etiam humida fieri: ideo formā*
» *longe ab aliis diverſam nacta ſunt, &*
» *nervi ſolidi extiterunt. Et paulo poſt:*
» *Verum ubi glutinoſum cum frigido af-*
» *fuerit, citra pinguedinem, exuri nō ſo-*
» *let; ſed temporis ſucceſſu incaleſcens*
» *(i.e. à ſalis actione fermentatum) con-*
» *denſatur: At vero cerebrum frigidi*
» *& glutinoſi ſedes eſt, & matrix. Ecce vero quid hoc aliud, quam Mercurii*
» *ſignatura eſt.* Præterea *ibidem docet*
» *Hipp. ita: Calidum vero pinguedinis*
» *ſedes, & matrix. Atqui hæc ſignatura ſulfuris eſt. Quæ ſequuntur*

in

in eodem libro de horum principiorum miſtione intelliguntur. Contraho. Aſſumptis principiorum ſignaturis, aſſumuntur principia ipſa: Signatura enim cum ſuo ſignato reciprocatur, & cõvertitur. At in l. περὶ ἀρχῶν, aſſumſit Hippocrates *principiorum ſignaturas: Quare & principia ipſa, nempe Sal, Sulfur, & Mercurium aſſumſit. Nec obſtat, quod ſigillatim, aut nominatim non expreſſerit principia hæc. Licet enim his, qui ex elementis cuncta conſlant, principiorum loco qualitates inhærentes ponere: eadem certè licentia Philoſophica ex ſolis ſignaturis allatis principia* Hermetica *exprimere liberũ eſto.* Hac *libertate Philoſophica Mercurius triſmegiſtus nõ ſemper Sal, Sulfur, & Mercuriũ nominitat: ſæpe ex ſignaturis principia appellat, corpus, animã, & ſpiritum: item unguen,*

aquam utilem, & facem: item Ignem, aquam vivam, & Cinerem in cinere, AlKali, sive fermentum: qua posteriore locutione delectatus est etiam Hipp.
„ *l.* 1 *de diæta, dum ait* : *Omnia consta-*
„ *re ex Igne, & aqua : inesse autem Igni*
„ *ab aqua humiditatē; & aquæ ab Igne*
„ *siccitatem per quod Salis fermentum, quod intercedit, subintelligitur.* *At verò Hippocrates calidum, frigidum, humidum, siccum in Medicina pro principiis assumsit* : *Proinde quatuor etiam elementa, ut harum qualitatum subiecta.* προϋποδεκτικὰ *ponit.* *At enim vero & Hermetici audacius terreum, aerum, aqueum, igneum usurpant: imo Virgilius veterrimæ Philosophiæ alumnus 6. Æn. canit: de seminalibus principiis* :

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo seminibus

Id verò non ἁπλῶς; sed κατά τι, qua scil. ἐνεργητικοῖς his principiis eiusmodi qualitates adiunctæ sunt, primò, non ut peculiarem vim & δύναμιν obtineant sed ut incitent, & augeant. Hipp. l. de prisc. med. & per eas principia hæc ἔμβια sensui offerantur. Secretionis namque & condenationis instrumenta sunt tantum hæ qualitates: vi igitur agent superioris sui agentis, in cuius nempe potestate sunt. Deinde adiunctæ sunt, ut elementorum analogia custodiretur. Inter ignem enim, inquit Hermes, Oleum & sulfur proxima propinquitas est; quia quemadmodum ignis accendit, sic & sulfur. tr. 1. de art. Kim. c. 2. Non igitur calidum & siccum, humidum, & frigidum intelligit Hipp. sed tale calidum, tale frigidum, tale siccum, tale humidum, quale sub nobilioribus δυνάμεσι est l.

de prisc. med. & sub analogia trium horum principiorum, ἐνεργητικῶν comprehenditur, & horum vi tanquam superioris agentis agit. conf. Hipp. l. περὶ ἀρχῶν, l. 1. de diæta, l. de insom. l. de prisc. med. l. de arte. Quia igitur Hipp. cum his in Spagyria πολυθρυλλήτοις principiis plane ὁμόψηφος est, Valeant, qui inter Spagyriam, & Medicinā dissidias volūt, atq; πόλεμον ἄσπονδον. Præterea ἀξιομνημόνευτος est & celebris illa Hermeticorum *thesis Quod est in macrocosmo, est in Microcosmo.* Hanc *ut arti Medicinali genuinam, agnoscit idem* Hippocrates *l.*
» *1. de diæta. Ignis, inquit, omnia in cor-*
» *pore suo modo ad universi imitationē*
» *parva cū magnis, & magna cū parvis*
» *disposuit.* Huic *postea thesi præclaras suas hypotheses subnectit. Quæ è terra producuntur, terræ ipsius naturam i-*

mitan-

mitantur. Naturæ permutantur secundum regiones, & aquas. Ex temporis mutatione aliam, atq; aliam esse seminis cõformationẽ. Cum anni tempora similiter se habent, nulla vitia in prima seminis conformatione contingunt, nisi violento casu, l de aer. loc. & aq. & alia, quæ de cõmotione Microcosmi cum macrocosmo dicuntur, l. de hum. aut de collatione anni microcosmici cũ anno macrocosmico afferuntur l. de aer. loc. & aq. Catholicũ fuit hucusq; ab Hermetis *seculo axioma: Quod est superius, est sicut id, quod inferius. Idẽ mutatis paulo verbis asserit Hipp. in aureo & magico de victus rat. libello. Omnia, inquit, similia, quæ* „ *dißimilia existunt, & convenien-* „ *tia, quæ sunt differentia. Ita conceptis penè verbis, & cõposito Mercurium trismegistum, sive Cadmũ, &*

Hippocratem in hæc axiomata jurares conspirasse & ὁμοθύμυς fuisse. Quæ cum ita se habeant, nunquid non Dracones censendi sunt ante hesperidum hortos excubantes, ipsi non intromittundi, interim iuventutẽ φιλομαθῆ à philosophico hoc Vrim, & Thymmim templo minaciter abarcentes? Συλλήϐδην: arctissima, & arcana est inter Spagyriam, & Medicinam συζυγία, ita, ut neutra sine altera perfectionis suæ gradum poßit tueri. Quin hoc palàm: AlKimia columnarum una est, quibus totius Medicinæ σύςημα innixum fulcitur. Quare, Lector candide, ne stomachator, quia ut potißimum Spagyricè hæc perfecerim, si intelligis ex modo dictis, quid vinculi intercedat inter Medicinam, & Spagyriam: tum quod Hermeticis, è Vulcania

petitis

petitis auxiliis Podagra indigeat. His te benevole Lector valere iubeo, mihi vero, ex animo tibi qui cupio, ex animo te vicissim oro favere.

De Podagra

Paras I. causæ scribendi.

DE Podagra, quæ
Tartareas inter rupes, invicta, superba,
Tartareos fundit nodos, ——

Varij varia. Qui negent, invenies, & solicite persuadeant, nullam unquam, DI prohibete nefas, Podagram iri sanatum. Ex adverso ver o sunt, qui indiscriminatim quibuscunq; podagricis per caustica, vesicatoria, escharotica, si DIs placet, spem faciunt solidam, & Hygieas in arcem phaleratis nugis collocant. Sunt iterum, quorũ mentem de meliore luto finxit Iupiter, qui sanabilibus solum podagris medicamenta adhibent, atq; ex myrotheciis suis alia atq; alia promunt balsama: sacro scil. nomine Arabum Belsamin, vel Belsan, quod Hebræis Bal sæmen est, i.e. Dominus unguentorũ, vel Pinguedo Solis. Belin n. & Sol dicitur quem Assyrii, Persę, Babylonii ma-

gna

gna devotione coluerunt. Herod.l 8. Sed in quam plurima balſama meritò ex Paracelſo D.Petrus Severini Regiæ Maieſtatis in Dania olim Archiater dicit, quod in levioribus & incipientibus podagris nonnihil efficiant, ſolidam v. ſpem eludant. Iam olim multis laudata fuit nobilis illa Rulandi aqua antipodagrica, cuius effecta propè divina dicuntur; ſed aquæ huius deſcriptiones, non dicam, quam mendoſæ; ſed quam ſpuriæ circumferantur: teſtis eſt experientia, lapis ille baſanos noſtrorum conceptuũ. Alii verò de ſopiendis tantùm doloribus ſoliciti, anodynis & narcoticis contenti utcunq; popularem auram aucupati ſunt. Hipp. ſanè l. de arte Medicinam dicit eſſe, quæ in totũ à morbis ægros vindicet, morborumq; vehemẽtiam obtundat. Id ſæpius apud animum evolvens, revolvens, occœpi cogitare, Podagricam Medicinam nõ in delenificis ad ſeſquihorulã medicamẽtis; non in balſamis, ex repercutiẽtibus, cõſtantib. ea vel Paniſci dictarint; nõ in eſcharoticis ſive veſicatoriis; non

in fœtidarum pilularum infarctu, Stomachi & inteſtinorum Archæum inverecunde velli ante: ſed in altiore medicina, vi ignea metallica attenuante, penetrante, renovante & τὰς τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταποδοσίας prohibente, atque novum mineræ affluxum expurgante, ſubſiſtere. Commodùm materias quaſdam metallicas indagaveram, in quibus eiuſmodi proprietates certa indagine inquiſiveram, easq; pyronomia ab hinc annos quaſi duodecim elaboraveram: ecce occaſione famulante offerebatur mihi deſcriptio celeberrimæ illius Rulandinæ aquæ ſincera, & ἀκίβδηλος, quæ, cum eaſdē, quas inveſtigaram, mineras exhiberet, (quæ in nulla eius deſcriptione anteà viſa extarent) impendio propoſitum confirmavit, & opus urſit mirificè. Eo verò magis animum in ſui σκέψιν, καὶ ἐξεργασίαν pellexit; quo magis in praxi ad miraculum pene aqua hæc fuit operata, & comprobata. Qua de cauſa, cùm aliis ſuas aquas, ſua balſama, ſua unguina interdùm πλεονεξίας ἕνεκα licuerit

cuerit laudare, non abs re fecisse putabam, si hanc aquam ad medicinæ fœnus afferrem; ita tamen verbis implicitam, ne cuiusvis φιλαργυρίας prostibulũ fieret: sapienti vero sat dictum esset.

Paras 2. Quid, & quotuplex Podagra.

MOrbus est illatio actionis à causa morbifica in subiectum patiens. Quicquid enim hominem λυπεῖ morbus est: Hipp. l. de flat. Inde pullulant symptomata analoga causæ, & loco affecto. Symbolum enim intercedit invicem, quod propter simile libenter it ad suum simile, tanquam unionis appetens, conf. Hipp. l. 2. epid. s. 7. At in podagra fit illatio actionis à causa dolorifica in articulorum myxam. Hipp. l. de loc. in hom. myxa vero est humidum glutinosum calefactum, & crassius redditum. Hipp. l. περὶ ἀρχῶν: atqui glutinosum esse signatura Mercurii est, Hartman. disp. medicochym. disp. 16. Incrassari vero sive coagulari Salis

ſignatura eſt. Quare articulorum gluten humor erit ſalſus mercurialis, Quare & podagrica paſſio in glutine ſive myxa erit ex ſale mercuriali. Quare tartareus erit morbus podagra. Omnis enim morbus ex Sale tartareus eſt. Imo in podagra Tartari proprietates experientia viſendæ ſunt. Novi podagricos namque, quibus, ſi ſoleas veſperi ſcaberent cultello, atq; emplaſtrum de pice navali apponerēt, mane verò abſtraherent, exudaret humor craſſus lacteus. Novi, quibus etiam ſine medicamento tam craſſus, & quaſi purulētus humor ex articulis exſtillaret. aſt humor hic in ultima materia in tophos concreſcit. Vidi non infimi ſubſellii nobilem, qui ἐν ἁγίοις, cui vivo p̄ omnes corporis poros nigra Tophina grana excreſcerent, quibus erutis glutinoſus nigricās humor inſequebatur, mox in conſimilia grana induratus. Conſtat autem has eſſe Tartari ſive fœculenti ſalis proprietates, ut in eiuſmodi tophos lapideſcat. Deinde, tam arctè connectuntur Calculus, & Podagra

Podagra, ut rarò Podager visus sit, quin simul calculo afficeretur. Imo Calculosi plurimi tēporis successu podagrici & arthetici evadūt. Nil dico, quod Podagra cum Calculo paroxysmos obtineat eosdē In confesso est tamen, Calculum tartareum esse morbum. Eapp͡ter & podagra inter tartareos morbos censenda est. Quin vero & inter minerales annumeranda venit. Evincit id primo mechanicus Podagricæ generationis processus. Tarda n. plenilunia cōsequitur; tarde ad statū, & vigorē procedit. Dein, quia de fixo & stabiliore Salis principio est; morb. quippe chronicus est, & quia admistæ mercuriales impuritates p͡fundius penetrāt, pene individuè adhærent. Quidquod dolorificus est morbus podagra, quippe salinus est. Omnis namq; dolor pendet à spiritibus salis, in quibus saporum extremitates adsunt. Cōfer Hipp. l. de prisc. me. Salia igitur cōtactu rei dolētis dolorē efficiūt, nēpe acuitate, & penetratione sua: sed in podagra etiā piodicos causātur dolores: ut in Paras 4.

differetur. Eſt igitur Podagra paſſio articulorum pedum tartarea, mineralis, dolorifica, periodica, proveniens ex duorum ſalſorum humorum ἀντιπαθεῶν, glutinis ſcil. atque externi illabẽtis, reactione, qua afficiuntur περιόστεοι ὑσμένες. Podagræ ſpecies tot ſunt, quot ſunt ſalium differentiæ, quas in Paras 4. inter ſigna pathognomonica afferemus. Deinde vero ſecundum impreſſionum vel exaltationis gradus dividitur Podagra in hereditariam; confirmatam; fluxiones Podagricas; & in Podagram gallicam. Tandem respectu elementorum, in quibus foventur ſalia in corpore Microcosmico ad articulorum gluten fluxura, dividitur in pituitoſam, ſanguineam, bilioſam, & melancholicam, quam tamen raro obſervari contigit. Atque hæc de definitione, & diviſione Podagræ dicta ſunto.

Paras

Paras 3. de causis Podagræ, loco affecto, & processu generationis.

Reliquum est, ut ad causas Podagræ, locum eius affectum, atque eiusdem generationem accessum faciamus, ac ab ipso ovo, quod aiunt. Nulla causa morborũ in Microcosmi anatomia stabilis est, & fixa: quippe omne νοσερὸν, cuius radix est τὸ hhizabon, à radice hhizab, id est turbavit, afflixit, dolere fecit (qualia de morbis prædicantur apud Hippocratẽ l. 4. morb.) consistit in mistione puri cum impuro, quę mistio instabilis, & non-fixa est: alioqui à Medicina non posset tolli. Qua ratione necessariæ corruptiones, quæ rationes, ac prædestinationes in vitalibus tincturis per radicẽ arar (id est realiter, & verbaliter maledixit) coniunxerunt, excipiuntur, quas contra nulla est medicina. Leges namque huius Naturæ inviolabiles sunt, nisi quòd tẽpora, cæteris κατὰ λόγον habentibus, possint retardari; atque id difficulter. At omnes humores in Microcosmi ana-

Gen. 2. dua afferũtur morborũ causa: quarum altera hhizabõ est, hinc nati morbi tolli possunt medicina: altera causa est τὸ Arar; hinc nati morbi immedicabiles, & lethales sunt.

tomia ſtabiles, & fixi ſunt. Elementa quippe vitæ ſunt demenſæ, rationes, & prędeſtinationes obtinent in vitali Seminalis entis aſtronomia. Vita autem tinctura fixa eſt, quæ res fixas operatur & ſtabiles. Non ergò morborum cauſæ eſſe poſſunt humores, niſi fortè κατ᾽ ἄλλο, qua ſcil. tales impuritates illis implantantur. Omnis igitur morbus ex non-neceſſaria transplantatione dependens, eſt à transplantato vel ſulfure, vel ſale, vel Mercurio, tam mineralium, & aſtrorum: quàm vegetabiliū & animalium. Omnium enim horum reſolutionibus nutritur homo; Omnibus namq; proportione idem eſt. Omnia vero alimenta, & quæ iuvent, & quæ noceant habent. Hipp. l. de locis, aff. l. de priſc. med. & l 4. morb. ij autē morbi, qui ex ſale fœculento alimentis admiſto, quodq; digeſtioni & egeſtioni per ſua emunctoria adverſatur, oriūtur, oriri à tartaro dicuntur, trallata ſignificatiōe à tartaro vini, in quo huiuſmodi ſignaturæ evidētes ſunt. Hipp. l. de aer. loc. & aq. Tartarū vocat noctē refe-

referens quid,ſicut ib.purũ nutrimẽti, quod Spagyri Rubinũ vocant, ſplẽdidũ appellat. Hic tartarus vel ſolus morbum cauſatur,vel aliis etiam permiſcetur impuritatibus,id quod p melechah i e.ſalſilaginem Hiob 39.pſ,107.Ier.17. &gaphrith h.e.bituminoſum,ſulfureũ quid,Scriptura innuit, Deut.29.Etſi v. quoad externas ſignaturas, & corporeas, alterat⁹ talis in corpore appareat tartarus,quale elementum, & humor adparet,in quo latet: tamen quoad internas ſignaturas principii ſui planè nõ eſt alterabilis,ſed indomitus Hipp.l de aer.loc.& aq. Sedimentum Urinæ argumento eſt totum tartareum,& ſalſis excrementis refertum,teſtimonio ſunt calculoſorum calculi. Oſtendunt podagricorum articulorum ſubſtilla, & tophi. Aſtipulatur Hipp. l. de priſc.med.ſexcenta homini ineſſe ait, quæ pro copia, & viribus varias habeant facultates. ὁμοθυμαδὸν ſuccinit Galenus qui humores acutos, ſalſos, acetoſos, nitroſos, æruginoſos admittit, & l.4.ſ.m.t.c. 16. ſanguinem

morbosum aut salsum, aut amarum vocat. Atqui hæ sunt tartarearum salium proprietates: nõ profectò comparatè; sed realiter, quod contra Bertinum eruditè demonstrat D. Sennertus, Præceptor meus obnixe colendus in inst. suis; l. de humor: His ita præsuppositis: Causa podagræ est humor acetosus, tartareus, mineralis, de stabiliore, & fixo Salium principio, ex cibo, & potu frequentes impressiones consecutus, latens, vel in quatuor primis humoribus: vel in eorum quatuor fontibus unde ad locum ultimum, articulorum nempe gluten fluit, ubi proprietates demum suas, h. e. dolorifica symptomata ac coagulationes explicat: vel latens in ipso articulorum glutine, aut eius balsamo cõtinua impressione implantatus; aut à Parentum balsamo seminifico eiusmodi impuritatibus inquinato, & labefactato in subolem traductus.

Ad generationem igitur Podagræ duo spectant imprimis, & quæ tartaro sive humori tali acetoso inferẽdo idonea

nea ſunt: & quæ corpus, imprimis articulorum myxam, eiuſque Mumiam infirment, diſponant, afficiant, ut eiuſmodi impreſſiones admittat. Horum alterum in eſculentis, & poculentis: alterum in affectibus, re venerea, motu, ocio, ambiente aere, loco & aquis, balneis, egerendis excrementis præcedentibus febribus, & id genus cæteris verſatur.

Inter eſculenta, Panis omnis, niſi fermentatus, glutinoſum, & obſtruentem tartarum importat.

Deinde omnis animalium, & volatilium, atque aquaticarum volucrum caro mucilaginem in ſanguine relinquit tartaream. Bubula caro mucilagine craſſa ſalſa: Suilla mucilagine mercuriali tartarea: Cervina mucilagine nitroſa: Leporina mucilagine bituminoſa acetoſa: Salitæ carnes ſale fæculento craſſo: Anſeres, anates vero mucilagine ſalſa glutinoſa differente iuxta aquarum, & mineralium in aquis ſecundum loca diverſitatem, ſanguinem imbuunt.

Omnes torrefacti, insolati in aere duri pisces generant in sanguine mucilagines phlegmaticas stypticas bolares sive argillosas. Pisces in palustribus, & cœnosis locis degentes ex iis hauriunt nutrimentum infectum limo salso, & impuritatibus sulfureis resolubilibus, ambigentibus inter impuritates Mercuriales, & tartareas. Hisce vero præsertim abundat Anguilla.

Lac, & lacticinia implantant sanguini tartarum bolarem, argillosum: legumina vero tartarum bituminosum pro diversitate terrarũ, ex quibus crescunt: Brassica etiam nitrosum.

Hęc inter recensenda sunt ciborum condimenta, quorum præcipuum Sal culinarium est. Etsi id balsamus terrenus existit, quo sine cibus omnis in sanguinem phlegmaticum, viscidum, facile corruptibilem vertitur: tamen habet, quo sanguinem acuat, Sal quippe Naturæ habetur esse hermaphroditicæ, tam masculi enim, quam fœminę naturam exhibet. Mascula virtus crassa est, torrida, corrosiva, calore excedens,

cedens, quæ ſanguinem torret, acuit, & corroſivum facit. Hæc ſeparanda eſt. Fœminea vis ſubdulcis eſt, & de ſulfure ſimul participat. Hoc verum eſt condimentum, per quod Naturæ digeſtio exaltatur, glutinoſum phlegma, vapores tartarei, & turbidi ſpiritus conſumuntur. Interea id ſal, quod cito liqueſcit, præ ſicco, torrido, acuto, & craſſo ſale eligendum eſt. Torridum enim Sal nimis acuit ſanguinem, & podagrica ſemina in eo generat & producit.

Proxime Sal Indum ſequitur, ut Archigenes appellat, Zuccharum inquã. Dulce id quidem, nec tamen exiguo calore præditum eſt, annexam habet acrimoniam tartaream acutam, obſtruentem, & glutinantem.

Affine huic mel eſt, cui, quantumvis aerea, & cœleſtis ſit eſſentia, tartarus tamen coniunctus eſt acetoſus, corroſivus, ex quo acetum elicitur acerrimum, in quo etiam metalla poſſunt diſſolvi.

Aromata cinnamonum, caryophylla, piper, Zingiber acuto & corrodente sale Alkali continuo usu inficiunt sanguinem: cinnamonum & cariophylla insuper sale sulfureo fixo: imo cariophylla sanguinem sulfure Mercuriali corrosivo, sive phlegmatico, & cholerico tingunt.

Inter poculenta primo Vinum considerandum est. Atqui hoc præter cœlestem & Solarem suam vim vegetabilem admisit mistionem tartari acetosi κατ' ἐξοχὴν, unde omnes omnium alimẽtorum impuritates nomẽ sortitæ sunt. In vino quippe salsilago mucilaginosa tam acetosa est, ne quid supra. Iccirco vina iam à prelo recentia, turbida, mustea, nec satis defecata, aut, quæ intercepta nõ satis deferbuerũt, τῶν παλαιγενῶν ἄλλα ἔμβια ἐστί. Quanto vero magis ad doliorum latera annascitur tartarus: tanto minorem putatur inferre noxam. Cuicuimodo tamẽ sit, Repletio ex vino in humores ingerit subtilissimum, & acutissimũ sal acidum, plus, minusve, cùm pro loci ratione, in quo

vinum

vinum vegetatur; tum pro gradibus vini: quo enim generosius, eò acutiorem, subtiliorem tartarum sulfureum continet. Taceo, quam crudum sulfur, & crudele tartaro accedat ex φιλοκερδέων Oenopolarum pigmentis, dum vina sulfure infucant. Vini analogiam servant mustacei ex pyris, pomis expressi liquores.

Cerevisia κρίθινος ille Athenæo οἶνος quadruplicem coctione acquisivit tartarum. Primum ex polenta glutinosum, obstruentem, eoq; magis, quò vehementius ad pyreuma usque tosta est polenta. Ideo quæcunque cerevisia pyreuma sapit, insalubris est, & maxime tartarea. Deinde habet ex lupulo tartarum, qui cōtinetur in sale mercuriali narcotico, quo nervi tentantur. Tum ex aqua retinuit tartarum, qualis nempe saxis, & lapidibus in aqua adhæret, & in putrescentibus aquis videndus est. Tandem servat ex terra mineralem tartarum, quem aqua perfluens, aut allabens extrahit, & coctione mediante cerevisiæ communicat.

Plena enim est terra mineralium resolutionum in superficiem eius exhalantium, unde vegetabilia nutriũtur. Nutriuntur quippe vegetabilia & cœlestium, & mineralium resolutionibus simul cum balsamica terræ roratione. Horum saliũ mineralium vi extant cerevisiæ laxantes; vel etiam urinæ, & egestioni adversantes. Hi quatuor tartari in cerevisię coctione uniuntur, ita; ut, dum cerevisia fermentescit, crassissimum saltim secernatur, reiiciatur; tenuissimũ verò, & subtilissimũ arctius, & profundius cerevisiæ inhæret in humani corporis anatomiam ingurgitandum.

Hydromelitis natura ex melle partim, partim ex aqua cognoscenda est. Atque hæc potissimum faciunt ad tartarum intra humanum corpus implantandum: de cæteris, æquus Lector ex his coniecturam faciet.

Inter causas, quæ articulorum glutẽ debilitant, aptumq; efficiunt ad Podagræ generationem, & ad commotionẽ erroneam, primum sibi vendicat locũ

iure

iure quodam suo Venus: idque duplici de causa. Primo: Validissimum, & pinguissimum ex universo humido excernit, ideo vel tantillo emisso semine imbecilles evadimus. Hipp. l. de genit: Quare & secundum gluten imbecilles evadimus. Mage quippe debilitantur ea quovis errore, vel tantillo commisso, quæ magis à centro innati calidi dissident. Imo calidum innatum evacuando universam corporis anatomiam labefactat Venus, & cruditates infert: Proin & articulorum myxam, crudos, & indigestos salsos mercuriales humores in illud invehendo, infirmat. Deinde quia per Venerem sperma potest infici physicalibus, & chirurgicalibus morbis, adeoque lue Gallica podagrissante.

Morbus quippe Gallicus est confusio variorum morborum in unum per contagium ex luxu. Luxus enim alio atque alio tempore alia atque alia mineralia separat, & transplantat. Ut enim in menstruis, & albo fluxu: ita in seminibus variè cùm morborum; tum

Morbus Gallicus est ex träsplantatione morborum.

tum trium principiorũ νοσεραὶ ἀποκρίσεις occultantur, ſuo tempore manifeſtandæ. Documento ſunt non morbi hereditarii tantum: ſed & febres pituitoſæ, quę interdum coitu ſolvuntur, quibus de loquitur Hipp. 6. epid. ſ. 5. aph. 22. Veneris uſus morbis à pituita confert. Hæ vero νοσεραὶ ἀποκρίσεις intra genitalẽ fundũ ἐνδομυχὶ receptę, nec conſumptæ, tandẽ cum menſtruorum, aut albi fluxus ἀποκρίσεσι νοσεραῖς confundũtur. Quæ κυκεία ſeu miſcella ἐμπεδοκύκλῳ χρόνῳ καὶ ἀνακυκλήσει in contagium abit promptę ſuſceptionis, ac infectionis.

Id μίασμα ex coitu cõceptum, intus latentibus, & occultis morborum ſeminariis complicatur, in ea obſirmatur, atque ita venenatum, & contagioſum σύμμιγμα parturit, cuius ſymptomata, & ſigna συγκεχυμένως habent, uti ſub Paras 4. recenſebitur.

A Venere ſi diſceditur proxime aſtrum Martis microcoſmicum, id eſt, iræ commotio conſideratione digna eſt. Aſtrum hoc ἐκ τοῦ βροντέως ἑαυτοῦ citiſſimè

tiſſimè Podagræ mineram eiaculatur. Ignea quippe eius ἐνέργεια, καὶ πυρίπνοος facit, ut ſalſi & accetoſi intra corpus collecti humores ἐξαπίνης πνευματῶνται, cõfeſtim in ſpiritus reſolvantur, & in articulorum myxam ἐξικμάζωνται, ſive exſudent. Metus vero, & triſtitia Ichoras & humores abſorbendo, quibus ſalia hæc fuerunt contemperata, ea acuit, & exaſperat.

Ocium ſuccedit, at hoc poros obthurando, adeoque ſenſilem, & inſenſilem tartari trãſpirationem inhibendo cruditatibus corpus replet, & calidũ innatum ſuffocat. Hipp 2. de dięta. Exadverſo intempeſtivus motus articulorum gluten ita infirmat, ut ad quasvis fluxiones recipiendas aptum factum ſit.

Frigus evidenter lædit myxam, & articulos, id quod experientia atteſtatur inſigniter, & Hipp. 5. aph. 18. frigidum oſſibus adverſum. Quia enim calor naturalis in circumferentia, & extremis debilior eſt, facili negocio à frigore lædi poſſunt articuli. Neque

obſtat,

obstat, quod frigida podagricis cōferre dicatur 5 aph. 25. & lib. de liquid. usu. Id enim de intentione curandi, & solvendi dolores per narcotica, ut verba eidem aphorismo annexa ostendunt: νάρκη ἢ μετρίη ὀδυνης λυτική, torpor commensuratus doloris solutivus. Narcosin autem inducit frigida, quia frigus superficietenus habet sal mercuriale, penetrans, stupefaciens; etsi intus foveat sulfur potenter septicum, id quod experientia in perfrigeratis pedibus, & malo mortuo, vulgo, **der Kaltebrandt** at-testatur, & Priscæ philosophiæ alumnus Vergil:

Aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Quare & in curandi hac per frigidā intentione attendendum esse vult Hipp. l. de liqu. us. i. e. provide apendū. Taceo, quod morbificum Podagrico sali annexum sulfur per eam mage possit irritari ἀντιπερίστασει sua, & concentratione, unde sulfur illud Podagricum in se coactum fortius evadat, & postea magis furiat, serpat: quale quid vide-

videmus in eryſipelate uſu venire.

Ad locum, aera ambiētem quomodo corpus microcoſmicū diſponatur legēdus eſt Hipp.l. de aer.loc.&aq.

Ex febribus per διαδοχὴν ſuſcipitur tartarus in articulos. 4. aph.44. 45.7. aph 65.66.niſi urina copioſa, & craſſa, & alba quarto die reddita, aut ex naribus ſanguis effluens liberet, 4.aph.73. Interdum tamen eiuſmodi febres ſymptomaticæ ſunt.

Balnea frequenti uſu carnes effæminant, nervos impotentes faciunt ménti ſtuporem inferunt, ſanguinis profluvia, & animi defectiones cauſantur. 5. aph.16.& l. de liqu uſu.

Egeſtionis impedimenta corpus ad Podagrā facile diſponunt. Materia qppe Podagrica per ſe ſtyptica eſt, & opus habet expulſione: quare facilime retinetur, & p meſaraicas ulterius ſerpit, & ſanguini permiſcetur. Magnum igitur Podagricis beneficium eſt habere alvū laxam. Huc refer ſis menſium, atq; hæmorrhoidū, fluxionum itē per fiſtulas, & fontanellas ſuppreſſionem, prætereà

obſtructiones fellis ex tartaro: quæ omnia maxume podagram promovent.

Diuturna ſtandi mora vel in loco frigido, vel in compotationibus non minimum obtinet momentum in debilitanda articulorum myxa,& ad aſſuefactionem fluxionum podagricarũ deorſum ad articulos. Huc refertur equitatio aſſidua, ex qua equitantes prehendunt diuturna ex fluxione κέδματα, nimirum aut ſemper pendentibus ex equis,aut ſtapedis etiam infixis pedibus.Hipp. l. de aër. loc. & aq.

Atque hæc de Podagræ cauſis βραχέως καὶ παχυλῶς ſufficiant. De ſubiecto ſive loco affecto diſpiciamus: id quod ſub gæographiæ, vel topographiæ microcoſmicæ nomine πολυθρύλλητον eſt. Loca dolorum confluentiam habent cum ſalibus, Ut enim in macrocoſmo,ſic in microcoſmo

Impoſuit Natura locis ſua fœdera certis.

Ideo locus phyſicus analogus eſt ſuo locato

locato. Hinc quælibet corporis particula transmittit vim, & qualitatẽ, qua facit alimentum ſibi analogum ad ſe moveri, atque cum alimento ſimul analogas impuritates admiſtas. At gluten articulorum eſt humor ſalſus Mercurialis reſolutus inſtar diluti glutinis, vel gummi; quo ſine nullus unquam articulus in ἀκμῇ ſua ſubſiſtet, ut maxume inter omnes humores minima ſit eius portio. Proin & gluten attrahet ſibi analogum nutrimentum cum analogis impuritatibus: ex quibus poſtea κακοπαθεῖ. Nam imbecillitas iſta glutinis cum materia affluente tam arcte connectitur, ut recte Avicennas: Sublata materia nec membrum mandans mandabit, nec recipiens recipiet.

His ita ξυμπαθῶς habentibus ex tartaro Macrocoſmi fit tartarus Microcoſmi: ex ſalſilagine fœculenta nutrimenti fiunt κέδματα, interdum etiã κεδματώδεα, i.e. acetoſæ fluxiones in articulorum myxam, aut fluxionum earũ ſimile quid. Quodſi igitur ſit influ-

entia τοῦ αὐλιπαθέος in ſuum αὐλιπαθὲς. Sal Naturæ, & Sal impurum influens viciſſim reagunt, ex qua reactione efferveſcunt,ebulliunt,exæſtuant. Hinc dolores,inflammationes,tumores, inflationes,æſtus,rubor; imò miſeranda carnificina in περιοστέῳ articulorum ὑσμίνη, imò & oſſium medulla. Hæc omnia inſequuntur vigiliæ, virium reſolutio, æſtus, & labor totius corporis, pro intenſis, vel remiſſis ſalium poteſtatibus, & ſulfurearum δυνάμεων admiſtione.

Qui illud αὐλιπαθές ſenſualiter vult intellectui obiicere; Senſus enim evidentia prævertit fidem rationis, Gal. 4.ſ.m.f.c.18. confundat in vitrum Spiritum vitrioli, & oleum tartari; vel aquam fortē ſuper limaturam ferri paulo ferrugineam: vel aciditatem ſulfuris ſuper feces reguli; ſentiet vix, ac ne vix quidem vitrum ob ebullitionem & reactionem duorum ſalium atque inde conceptum calorem manibus poſſe teneri. Perinde de ſalſis iſtis humo-

ribus

ribus intra corpus poteſt fieri iudicium.

Paras 4. de ſignis.

QUę igitur cauſæ, quod ſubiectum, & quis generationis typus ſit, arbitror ὡς ἐν τύπῳ oſtenſum eſſe: ad ſigna pergam, atque inter ea primò ad prognoſtica. Podagræ vitia Vere & autumno moventur fere. 5.aph.55.3.aph. 20. Quod ut eò rectius intelligatur, quædam de commotione tartari præmonenda ſunt. Eſt autem commotio, quando τὰ ξυμπαθέα ſimul afficiuntur, & movētur. οἰκεῖα autem οἰκείοις συμπάσχει domeſtica domeſticis compatiuntur: haud ſecus, atque florentibus vitibus vina in cellis ſimul tanguntur, & moventur, aut floreſcentibus arboribus cerevıſia haud prompte aceſcit. Fit autem illa commotio, trium principiorum ratione. Tria enim principia in Natura Univerſali ſive in univerſa rerum parente Natura totius cuiuſdā prę ſe ferunt rationem, quod totum cum

particularibus eiusdẽ est naturæ. Particularia vero habẽt vim quodammodo, etiam cum quiescunt, quorum totum ubi motum fuerit, protinus commovendi vim consequuntur τὰ ὁμογενῆ μόρια.

Quum ergo aperit annum Aries tũ sulfur movetur, sublimatur, elevatur usque ad criticum ortum primę cinguli Orionis. Ab hoc ortu critico Sal incipit moveri usque ad criticum occasum vespertinum Antares, sive cordis Scorpii. Ab hoc occasu vespertino critico incipit motus Mercurii usque ad æquinoctium vernale iterum. In hac commotione simul Cardinalium punctorum ζυμπάθεια complicatur, quorũ ratione Ver, autumnus, æstas, hyems describitur. Ita enim magicè Ver orienti, autumnum occidenti æquiparat Hipp. l. de aer. loc. & aq. Hic annus Macrocosmicus, & eius revolutio, particulari anno Microcosmico viginti quatuor horis circumscripto proportionabilis est. Tempora enim vel longiora, vel iterum contractiora numeris,

meris, & harmonice proportionabilia inter ſeſe proportionabilia ſunt. Hipp. l. de ſept. part. Ita veſpertinum tempus autumno reſpondet 2. epid. ſ. 1. & hora ſexta uſque ad duodecimam excluſivè Veri συνάριθμος, καὶ δύναμος erit, atque ſic de cæteris: ita à ſexta matutina ad ſecundam pomeridianam ſulfur: ab hac uſque ad decimam noctis Sal: ab hac uſque ad matutinam ſextam viciſſim Mercurius movetur.

Ex his dependet harmonica tartari commotio: accedit erronea, qua ſæpius tartarus movetur præter harmonicam commotionem, ut vel anticipet, vel ſæpius afficiatur. Id fit, quoties exacerbatur cunque aut coniunctione; aut oppoſitione Saturni, & Martis: aut præter naturalibus temporum anniverſariorum diſpoſitionibus: aut aereis, igneis; aqueis; terreis; ventorum, pluviarum, ſiccitatum, & ſimilium meteororum generationibus irritatur, uti ſolet omnis in humoribus, & cavitatibus ſitus tartarus; aut ingrato, vel non ſatis commodo cibo,

potuve: repletione; nimio motu; excessu rerum Venerearum. Quæ omnia tartarum citius, & sæpiùs possunt proritare, quàm eius harmonica est revolutio.

Ex his patescit aphorismū hunc Hippocratis de harmonica intelligendum esse commotione. Sub Vere enim moventur ii humores, qui Salium de sulfure non-fixo participantium proprietatibus infecti sunt, quales fere nitrosæ sunt. Moto igitur sulfure vim commovendi statim Sal quoque, cui Sulfur ἐπιπλῆς adhæret, consequitur. Fieri enim potest, inquit Arist. 2. de animal. procr. c. 1. ut hoc ab hoc moveatur, & hoc ab hoc.

Eunuchos; fœminas, nisi menstrua defecerint; pueros πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ podagra non laborare recenset Hipp. 6. aph. 28. 29. 30. Galenus autem Eunuchos; Hollerius pueros; Seneca fœminas, Romanas præsertim, notavit ποδαγρίησαι. Deinde 6. aph. 49. definit tempus febrium podagra-symptomaticarum usq; ad abscessus podagricos

diebus

diebus quadraginta. Sed hic, ut & prior aphorismus accipiẽdi sunt de eo; quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, καὶ κατὰ λόγον, καὶ πλεοναχῶς ita se habet. Postea 2. epid. s. 3. ait Hipp. Podagricis humorum coitus in humiles calculos concrescere, imbecillitatesque circa articulos fieri. Rationem addit à loco affecto: Ossium enim natura quod indurentur, aut cõtendantur in causa est. Quæ vero ossium natura est? nempe pingue frigidum exustum l. περὶ ἀρχῶν. Quid quęso ex signaturis apertius dixit Hipp. quam Spiritũ Salis, qui tartarũ coagulat? Salis quippe spiritus Microcosmicus perinde atque artifex facit; habet enim potentiã ipsam vim coagulandi, quam cum influit, tartarus coagulatur. Quodsi igitur in grana, tophos, & calculos concrescat humor acetosus Podagricus, sequitur distorsio & dislocatio articulorũ. Accedit his, q; indicio nobis sint, an medicabilis, vel immedicabilis sit Podagra, hæc duo. 1. Qui in senectute tophos, aut callos in articulis induratos habent, aut laboriose vitã tolerant,

cum alvo ſicca, ii ſane omnes, ut ſentio (inquit Hipp.) humana arte curari nequeunt. Iuvenis verò, cui necdum circa articulos calli induruerunt, cuique victus ratio curæ eſt, ad laborem eſt impiger, alvumque habet vitæ inſtituto probè cedentem, is ſane prudẽtem nactus Medicum, ſanus evadet. 2. prædict. 2. In his, quæ circum articulos cõtingunt, in maximũ diſcrimen præcipitant pollices, ac præcipuè pedum. 2. prædict. Levinus Lemnius de Nat. mir. hoc aſcribit digito annulari, ſive medico. Rationem addunt nonnulli, quod ab eo digito venula ad cor tẽdat: at eiuſmodi venulam in locali anatomia videre nihildum licuit. E chiromanticis facilior coniectura eſt. Medicus quippe digitus, ut Solaris eſt, ita cordis ſignaturam gerit. Solaris eſt, prout enim Sol in Macrocoſmo γενέθλιος affectus eſt: ita ad eius imitationẽ Sol Microcoſmi αὐτογενέθλιος ſignaturas ſuas in digito hoc medico explicare prehẽſus eſt. conf. Hipp. 1. de dięta. At Sol Macrocoſmi Soli Microco-

ſmi h. e. cordi συμπαθὴς eſt, καὶ ξύῤῥοϛ. Quare & annularis cordi, ut gerit eiuſdem ſigna, ita συμπαθέϛ. Tentatus igitur nodis annularis digitus indicio eſt cor incipere affici humore illo acetoſo Podagrico, vapido, καὶ ξυμπαθέϛν. Ultimo: Quodſi ex aphoriſmo 70 ſ. 2. prænot. Coac. conditio ægri æſtimanda venit: ſi dolores ſenſim ingraveſcentes ad iugulum, & ſuperiores partes transeant, perniciem minantur; conclamatum eſt. Vitalia namque illius tartari impatientia ſunt. Signa pathognomica ex cauſarum, & Salium impreſſionibus deſumuntur. Salia nanque vitriolata vehementes, lancinantes, pũgentes: Salia nitroſa, & communia vehementiſſimos, acutos, pungentes, & quaſi ſecantes: acetoſa, aluminoſa perfrigidos, ſtypticos: tartarea, æruginoſa, arſenicalium & realgarium ſpiritibus permixta, uſnea, petræa vehementiſſimos cum rubore, caliditate, inflatione, pulſatione, dolores infligunt.

De podagra gallica Paracelſ. l. 6. c. 3.

hanc tradit in signa παθογνωμικά νοσογνωμικήν. Si cum Podagra concurrunt serpigo, contractura, paralysis, tumores, φύματα, Gallica censetor Podagra. Cætera ibi perlegunda sunt.

Paras 5. An Podagra sit medicabilis: & an detur in natura medicamentum Vniversale ab artifice eruendum.

HUcusque θεωρητικὸς λόγος: nunc ad medicā ἐμπειρίαν animus. Omnis Podagræ medela, aut ex universali procedit: aut è particularib. Sin prius; Omnis Podagra ex universali medicina curabilis est: alioqui daretur è mistione non-necessaria morbus, qui medicinam excederet. Medicinam dico, non illam, quæ est ἐκ τῶν συγγραμμάτων τῶν καθ' ἕκαστα; sed quam è terra creavit Altissimus, cuius scientia κατ' ἐξοχὴν est τῶν ἰαμάτων χάρισμα. Sin posterius quædam Podagra sanabilis est; quædā insanabilis. Lubet ad prius τμῆμα illud

illud discutere: Si ex universali medicina Omnis podagra θεραπεύσιμος, καὶ ἰάσιμος est; numne detur in natura tale καθάπαν medicamentũ, sive universale: &c, si datur; ex quonã id subiecto eruẽdum sive extrahendum sit artifici Medico. ἁμαρτάνοον puto, quisquis inficias it, dari in Natura universale id medicamentum. Hoc enim negato, negatur Universalis Natura, & particulariũ medicamentorum efficacia, & ad sanitatem motus. Id vero ἐξημαρτημένον est. Omne enim physicũ particulare, fundamentum habet in Universali Sua Natura; fundamentum vero vegetationis, & ad sanitatem δυνάμεων habet exinde, quodcunque ἰατρικὸν est; sive è metallicis, & mineralibus; sive è vegetabilibus; sive ex animalibus depromptum sit. Quia igitur omne particulare physicum arguit suum universale, anne dubium sit dari in Natura φύσιμον Universale, unde particulares φυσικαὶ δυνάμεις proficiscantur: Maius est, quod movetur: quia præsuppo-

nitur in natura φύσιμον illud Universale, nempe Universi Mundani syntagmatis humidum radicale Re-bis, an ne detur subiectum, in quod nempe humidum id radicale sui impresserit chaos, ab artifice in corpus reducendum? Utcunq; enim in omnibus insit Re-bis illud; nō tamē in omnibus inest eo modo, quo artifici opus est. Datur vero & huiuscemodi subiectum, quod Universalis medicamenti chaiim (à radice enim chaiah id est vivificavit, nutrivit, instauravit, suscitavit Philosophorum chaos; non à χαίνω, voce huc impertinente deducitur) impraegnatū sit; Medico verò educendum. Quodsi enim in natura obvium est minerale, quod Mundani centri pollet viribus: curni & minera sit σωϛικοῦ Universalis viribus, & chaiim impregnata? At prius minerale sensui experientia obiicitur. Magnes enim centri viribus impraegnatus est. In Magnete enim vehementissimus latet ignis, qualem in terra Vestam dixerunt Poetae, nempe à Chaldaico æschah. Imo vi centri Uni-

centrū q. à Zā-ther, i. ꝑ ignis recepta.

versi

versi levia summo; gravia infimo continetur loco: ita Borealis pars Magnetis sursum à cētro; Australis vero deorsum ad centrum trahit. Quare & Universalis δυναμικοῦ viribus impraegnata minera concedatur necesse est: ἰσοδυναμούντων enim eadem est ratio, & facilitas.

Quale vero quid sit id subiectum, hoc opus, hic labor est. Ex auro, & argento alii: ex sulfure, & Mercurio vulgi alii universale hoc extrahere satagunt. ἁμάρτημα triplex. 1. Quodcunq; enim ad particularem naturam determinatum est, eiusque coniugium admisit, inidoneum philosophis censum fuit. 2. Quia Vulgi Mercurius nunquã foemineum semen aestimatum fuit; nũquam enim fontinã ingreditur. 3. Quia ex his chaoticus ille duplex mercurius, quorum alter foeminae vires obtinet; alter vero, qui ἀειπαρθένος Mercurius & sulfur est, nunquam educendus est. Autor tractatus de chao philosophico nimis quam remote de Universali hoc θεωρεῖται quod sit ens merè in prima materia.

culum. Mundanum enim centrũ ignis est Ovid. alibi Nec tu aliud Vestã, quam vivam intellige flammã Ovid. alibi Stat vi terra sua, vi stando Vesta vocatur.

teria situm. Quia lapis Philosophorũ mineralis, vegetabilis, & animalis appelletur. At ens tale generalissimum non in artificis; sed Naturæ potentia solum subsistit. Quid? quod ne ullum per id solvatur metallũ unquã. Quandiu enim generalissimum illud trinunum actioni Archæi non substernitur, tam distinctũ est à mineralibus, Vegetabilibus, animalibus, quam eamet ipsa inter sese distincta sunt. Axioma Philosophorum de cõparatione quadam tantum intelligendum est. Universale enim propter materiam mineralibus: propter vim vegetativam, quę dependet à mercurio solvente sulfur & nutriente id ad vegetationem, Vegetabilibus: propter generationẽ, qua se embryoni æquat, animalibus confertur, atque ita trinunum dicitur.

Ex laboribus Kimicis cũ Patris mei, tum D. Danielis Reinischii pię memoriæ, quantum à puero addiscere licuit mihi, & postea cum Philosophorũ scriptis conferre, tantum assecutus sum, quod subiectũ illud sit magnesia her-

ma

maphroditica, inqua ſulfur fixum ſuperans ſulfur auri. Geber vocat Martẽ converſum in naturam vitri cœleſtis coloris, vel ſapphiri obſcuri, ſcilicet ex complexu albæ femellę. Hanc femellã Philoſophi, qua genus, dicunt etiã Vitriolum eſſe: id genus & marem volũt eſſe. Vel: ſubiectum Univerſalis medicinæ eſt lapis, in quo humidum radicale omnium metallorum ἔμβιον eſt cum ſulfure ἀειπαρθένῳ, cui ſi ſulfur Martis fixũ (quod etiam æs rubrũ, & filius magneſiæ appellatur, ſenior tamen matre ſua, id eſt, fontina, quæ mercurius eſt in ære coagulatus) coniungitur, id in illa conceptum clauditur, & in naturam magneſiæ convertitur, ita, ut ipſummet fiat radicale humidum, hoc ſaltim diſcrimine, quod & ignis ſit digerens omnia, ideoque duplex Mercurius Philoſophis appellatus. Atque hæc de Univerſali hoc iamate βραχέως συμφιλολογεῖν volui. Quæ deſunt, ulteriori laborum inquiſitioni, & alii tempori relinquo.

Paras

Paras 6. de curatione Podagræ ex Particularibus.

OPtanda esset Universalis hæc θεραπεία; sed paucis hucusque ad hortorum Hesperidum χρυσομῆλα adire licuit. Sæpe tamen in multis Podagris, gravissimis etiam, Particularis curandi methodus officio defuncta est Universalis curationis. Particularis autem, & usitata methodus θεραπευτική est, qua non semper radicales morborum tincturæ, sæpè symptomata, paroxysmi, dolores ad exaltationẽ pervenire nõ permittũtur, id quod fit, resolvendo, alterando, confortando. In hac ἰατρεία gradus sunt prout magis, vel minus ad Universalis curationis conditiones accedit. In hac medela, hereditaria, confirmata, & nodosa Podagra locum non habent; sed universali πάμπαν subiiciuntur curationi. Quamvis nonnullos nodos malagmati ex caseo putri, & vino ardente viderim obtemperare. Interim omnes hæ Podagræ dolorum mitigationes, paroxy-

smorum

ſinorum inhibitiones à particularibus admittunt. Quæ vero podagræ non ſunt conſummatæ, & iam iam ἀκμάζουσι, omnes è particularibus ſanantur ἀκέσμασι.

Quod igitur bene vortat ter Opt. Max. Prima indicatio vertitur in auferenda cauſa, Fruſtra enim in morbis chrõicis, tartareis ſigna peptica expectantur. Quod Hipp. monet 1. aph. 22. id, qua Podagram, in ſymptomatis locum poteſt mereri. Purgãtia communi uſu recepta habentur: pilulę de hermodact. de opopanace, de quinq; generibus myrobalanorũ, de ſagapeno, de colocynthide, artheticæ, fœtidæ. His vel ſigillatim, vel miſtim vulgo uſi ſunt, atq; indeſinenter purgando corpus tandem exolvunt. Non enim ſemper καλοκαγαθία eſt inteſtinorum Naturæ, ut excretionum his ſtimulis vacet. Quinimò vegetabilis horum purgantium Mercurius crudus, venenatus ut plurimum, continua impreſſione nobilem viſcerum ſtructuram vitiat, tartareos humores acuit, pene venenat;

imo efficit, ut postea ne ullum Naturæ opus reddatur, nisi his stimulis coactũ. Verùm enimverò, quia salubre est podagricis habere alvum laxam, utatur singulo quatuordecendio his, quæ recipiunt.

℞ locustarum Sambuci pulv. ℨj.

Bibatur in vino, vel iusculo: vel

℞ fol. senæ Alex. s. s. ℥ß.
cinnamomi contusi ℨß.
caryophyl. n. vj.
Zucchari parum

infundantur in vini albi s. q. quo de æger singulo quatriduo tribus cochlearibus demenso uti poterit. Nam & inter podagram, & folia senæ magna intercedit analogia, & indicatio.

vel: ℞ cremoris tartari ℨiij.
dissolve in iusculo q. s. fiat haustus.

Qui verò connexam habet nephritin, calculum, aut rheuma commode uti potest hoc clareto semel singulo quatuordecendio sub horis matutinis & Luna decrescẽte ad haustum unum tepidè, qui recipit,

℞ brusci
asparag.

acori
fœniculi ana ʒiij.
ſ. 4.frigid.maior.ana ʒij.
endiv.
cich.
ſcariol.ana ʒj.
turbith ℥ſ.
hermodact.triduum in aq.vitæ
maceratorum & exiccat.ʒx.
fol.ſenæ
polypod.querni ana ℥ij.
cinnam.
Zingib ana ℥j.
Zucchari ℔ſ.
vini albi ℔iij.
Fiat claretum.

Senioribus commendat Paracel. hunc pulverem, qui recipit.

℞ hermodact.præp.ut ſupra
turpethi opt.
diagryd.
fol.ſenæ
raſuræ parallel.cervi
ſacchari ana ʒj.

Fiat pulvis alchool, quo de per tres vel quatuor dies ſemidrachma poteſt

exhiberi Luna decrescente in aqua ivę arthet: vel centinodii: & secure, & leniter purgabuntur defluxiones Podagricæ. Atque hic ex Paracelso mire laudavit mihi in Podagra parallelos cervi Pater meus Rei metallicæ Revisor atque δεκατογράφος per tres metallicas civitates Schlaccovvaldum, Schōfeldium, & Lauterbachium; id verò per quam utile est medicamentum, eo modo, quo oleum ex ossibus humanis extrahit Libavius μ. θ. oleum ex ipsis factum.

Ubi vero insultus Podagricus factus est: purgatio institui potest cum sequenti pilularum massa.

℞ aloes hepat. præp. ʒv.
myrrhæ præp. ʒiij.
agar. recent. troch.
rhabarb.
mastiches ana ʒj.
croci p.j.
succi hellebori nigri ʒij.
fumi terræ
colocynth.
gentian.

petasit. ana. ℨj.

Pulverisanda pulverisentur ut alchool. teratur in mortario cum succis, imbuantur manus oleo olivarum, fiat massa pilularum, qua de dosis ℨj. Loco agarici possunt substitui hermodactyli præparati, ut supra.

Aloes præparatio est, ut eius libra una dissolvatur in aheno: dum hoc fit, recipe fol. rosa. ℔j, incide pone in aliud ahenum superinfundendo aquam fontanam ad supereminentiam transversæ manus. Bulliant vehementer, ut virtus in aquam transeat, postea & aloen dissolutam, & aquam hac virtute, & odore rosarum impraegnatam confunde, & per manicam Hippocratis exprime in vasculum purum, quod biduo per duas horas igni carbonum mediocri imponas: postea ad Solē exicces. Myrrhæ præparatio vulgata est. Succi hoc modo extrahuntur. ℞. radic. helleb. nigri ℔j. ablue probe, à comis munda, & incide, infunde in lac caprinum triduum. Deinde exemptas radices contunde in mortario, coque in aqua fon-

tana, exprime per manicam Hippocratis in vasculum mundum, expressum reaffunde fæcibus, iterum coque, exprime, id verò usque ad tertiam, vel quartam vicem: expressum tandem super carbonum ignem spissescat in modum extracti. Simili modo recipe fumi terræ M.XXXX. celocynth. ℔j. Gentianę ℔j, petas: ℔j. & cum singulis sigillatim perinde procede, nisi quod hæc semel exprimenda sint tantũ, postea in extracti consistentiã incoquenda. Præfero massam hanc pilularum omnibus fœtidis illis, & suspectis pilulis.

Inter hermetica purgantia sunt:

℞ extract. cathol. descript. August. g.v.
fiant pilulæ n. v.
vel ℞ extract. melampod. g. iij.
fiant pilulæ n. iij.
vel ℞ extract. panchym. g. xv.
fiãt cum oleo destill. fœniculi pil. n. viij.
vel ℞ extract. solutivi ℈j.
syr. ros. solut. ℥ij.
Misceantur l.a. & in vino propinentur

tur q.s. superbibendo parum vini,ut amarus sapor ex ore eluatur.

Rulandus etiã utitur eo, quod recipit.

℞ extract. esulæ ℈j.
fiant cum oleo destill. fœniculi
catapotia n. x.

Purgat supra,& infra.

vel ℞ arcani corallini g.iij.
theriacæ ℈iß.
Misceantur,& propinentur.
in aq. ivæ arthreticæ, vel centinodii,

Laudat hic Rulandus etiam aquam suam benedictam,quæ recipit.

℞ croci metall.
fol. senæ alex. s.s.
Zingib. ana ℥ij
infundantur sena & Zinziber pernoctẽ in ℔iix. vini albi, fiat levis expressio, cui iniicias crocũ met. p d.iij. postea p vesicam puram destilla, dosis ab ℥j ad ℥ij.
vel ℞ aq. bened. Quer. ʒiß. ppinetur.
vel. ℞ croci metall. ℈iß.
iufunde per noctem in vini albi
Renani optumi ℥iiij.
mane per linteum purum transcola, colaturam propina tepefactam.

vel ℞ terræ ſigillatæ, & conſtellatæ Kimicæ trochiſc. j.

Propinetur in vino poſtridie plenilunii.

Eſt vehemens purgans per ſuperiora, & inferiora.

vel ℞ fæces reguli per ignem naturę præparat. quantitate piſi

Infunde in aq. ivæ arth. ℥iij, bulliant, tepeſcant, colentur, de colatura propina ℥j. habebis antimonium per inferiora tantum & blande purgans. Communicatum id fuit mihi ab amico meo ſummo Dn. Makaſio M D. & apud Egranos practico.

In omnibus his ſtimmiatis cautiones hæ etiam atq; etiam obſervandæ ſunt, nempe, ut vētriculus ſit vegetus, robur ſolidū, nullum principale viſcus læſum, neq; vena ſecta, aut paulo poſt ſecanda, & quas præterea circumſtantias iubet obſervare Hipp. in veratro 4 aph. 13. 14. 15. 16. Tandem ne propinentur illa ςιμμίσματα καθαιρετικά ſtatim poſt uſum ſpiritus vitrioli, aut aciditatis ſulfuris. Hi quippe ſpiritus (præ-

ſertim

 377

ſertim acetū minerale) omnium Purgantium vim inhibent, ita, ut purgantium πημισμάτων poſtridiè hauſtorum vim inde imminutam evidentiſſime ſenſerim. De antimonii vitro hoc ἐπιτεροχάδην moneo, quòd non ſit vera medicina. In vitrificatione namque antimonii terreum minerale magis commiſcetur; forma vero metallica, quæ non debuit ſeparari; ſed à centro ad ſuperficiem educi, in fumum abit. Relinquitur ergo in vitro Antimonii τὸ minerale venenatum, poſtquam forma metallica, in qua inhæret ignis purgans vivus, exſpiravit. Minuenda eſt igitur horum opinio, qui vitrum antimonii tam audacter exhibent, utcunq; κρηνὸ φύγιτον poſſint quærere ſub ſcyphis ex vitro antimonii à Rulādo, & Quercetano fuſis, ut Virgilianus Rœtus

——*magnum metuens ſe poſt cratera tegebat.*

Qui vero ſucci pleno, & ſanguineo eſt corporis habitu; ſanguinem poteſt mittere; ita tamen, ne quid de Stimmiatis, aut mercurialibus purgantibus ſit vel fuerit adhibitum: ſed eorum lo-

co extracta alia substituantur.

Secunda intentio medicæ praxeos sequitur nempe mitigatio. Hic verò ingens est spicilegium eorum medicamentorum, dolores, quæ demulceant. In usu frequens est sperma ranarum; aqua sperniolæ; oleum spicæ: succus, & aqua cucurbitarum. Infusio item hyoscyami in vinum destillatum, petiis sive linteolis adplicanda. Cataplasma ex farina fabarum, croco, & lacte caprino laudanum Paracelsi opiatum, cuius descriptio in basilica Crollii obvia est. Oleum antimonii ita paratum:

℞ magnesiam Saturnniam opalinã pulverisa ut alchool, infunde in acetũ destillatum, tincturam effunde, repete, usq; dum nihil tingatur, effusiones collectas destilla, exibit oleũ melleum, quod stet in digestione pigri Henrici. Id oleum illitum mire profuit.

Inter hęc mitigativa in mentẽ mihi venit radicis cuiusdam in eremo, & petræis nascentis, quam Ambrosiam vocare malunt alii; alii cervariam germanicè

manice Hirschwurtz. Tragus vult esse speciem Peucedani, parte herb. sui 1. c. 148. Hæc primo abundat sale adeo corrosivo, ut ferrum penetret: Secũdo habet sulfur purum anodynum, quod tamen intra corpus administratum iram, & bilem concitat. Tertio prædita est hæc radix mercurio subtilissimo anodyno. Radicis hujus administratio hæc est.

℞ huius radicis arefactæ pulverisatę q.v. coquatur cum vino albo potente in cataplasma, quod loco dolenti calide applicatum immanissimos dolores, inflammantes, & mentem pene emoventes illico tollit.

Balsama hic sua unusquisque affe-runt antipodagrica, Crollius, Pansa, & alii quamplurimi.

Aquas antipodagricas describit Quercetanus, sed quam Rulandinam esse opinatur, pace tanti viri dixerim, non est. Quemadmodũ superius mentionem feci, incidi in hanc aquam:

℞ aq. terimachtim utriusque ℔j.
alhadid ℔ij.
laudani Mercurialis ℥ß.

calcinationis lapidis de alchool ℥j misce, & facta ebullitione asserva in vase vitreo.

Experientia, cui contradicere non est, nisi τοῦ ἐπιπλάζοντος, didici, brevi tempore cruciatus atroces sublatum iri, non repercussione; sed extractione. Nam si linteola hac aqua tepida imbuta articulis imposita, & ab eorum calore exiccata auferuntur, quasi fumus evaporat. Divinas aquæ huius virtutes iterum atq; iterum non sine fructu expertus sum. Aqua enim terimachtim vi sua bezoardica, nempe sulfure auri resoluto articulorum gluten conservat, & articulos lubricos firmat. Aqua alhadid potenti suo, & penetrante sale tartari vehementiam obtundit, dolores mitigat, articulos roborat, & futuras affluxiones prohibet. Mercuriale laudanum vi sua anodyna, & balsamica, minerali dolores tollit subito, & vi sua regenerandi, qua pollet, glutē renovat. Hoc enim alioqui cum Sole congelatum summum artis magisteriū est, virtute excedens omnium metal-

lorum

lorum olea, adeo, ut exulcerationes etiam occultas ſanet. Lapis vero de alchool igne ſuo cæleſti, & vi metallica penetrat, expurgat, clarificat articulorum gluten, & inſtaurat. Incidit tartarum, eumque per cutis poros diſcutit. Uſus huius ab extra tantum eſt, ut linteola ea imbuta loco dolenti applicentur.

In declinatione poſſunt, & hæ balneæ adhiberi.

℞ Zucchari candi
ſulfuris,
antimon:
vitrioli ana ℔j.
ſalis communis ℔ij.

Antimonium primò infundatur ſcorſim in ſacculo & bulliat; deinde in alio ſacculo cæteræ ſpecies imponantur. Fiat balneum magiſtrale, vel ſi vis poteris his addere

℞ gentianæ
baccarum lauri
iuniperi ana ℔ij.
vel: ℞ gentianæ
bacc. iunip. cum ſummit, ana ℔v.

capill. Veneris ℔ij.
agrim. M.iiij.

Fiat balneum insidendo ad dies sex cotidie per h.7.vel 8.

Vel ubi scaturiunt thermæ Carolinæ, potest Podagricus insidere iuxta aphorismos Rulandi præscriptos in sua hydriatice.

Quod si Ischiatica coniungitur potest intra corpus administrari

℞ lactis sulf. vel butyri sulf. ℈jß.
aq. ivæ arthet. q.s.

Extrinsecus adplicari

℞ olei destill de botin ʒj.
olei lauri ℥j.

Misce inungatur locus dolens.

vel ℞ olei vitriol. ʒj.
phlegma aceti ℥j.

Misce, & applica loco affecto

vel ℞ spir. vitr.
salis
olei destill. thereb. ana q.s.

Misce, & applica calide.

Tertia succedit indicatio nempe vitalium corroboratio, & fluxuum aversio, atque hic excellit, quod recipit

℞ rubini Solis gj.
propinetur in aq. ivæ arth.
centinodii ana cochlearis dimidium.
superbibendo quantum capiunt duo cochlearia.
vel qui Rubini auri compos non potest fieri, utatur hoc succedaneo.
℞ magister. Perlarum
corall. ana ℈jß.
manuum Christi in aq. centinodii
dissol. ℥iijß.
Fiant rotulæ, quibus utatur æger ad virium recuperationem.
Ad præservandũ utatur laborans eo
℞ spir. tart. ex hydromel. g. vii
vini, in quo caryophyllata
infusa est, q. s.
vel ℞ salis metall. g. vj.
theriacæ ℈jß
assumatur, & ad hoc bene tectus sudet assumens.
Novi ab hoc uno semel exhibito ad aliquot ãnos Podagrã ἐγκοπτομένην fuisse.
Hactenus Podagræ θεραπείαν fundamẽtis solidis, & Hippocrateo consensu

ſtabilitam propoſui, ἄνευ φλυαρολογίας καὶ σεμνολογημάτων. Quodſi laborem hũc gratum, & acceptum fuiſſe intellexero, atque à φιλοσκωμμοσύνης vitio illibatum, proxime de aſtralibus morbis, ſi fata mihi Dei indultu ſuperſint, agam, atque proportionem aſtrorum Micro coſmi & Macrocoſmi pro exigua ingenii dote dilucidabo. His fruere lector, & mihi bene precare, meque ab omni invidia tutum, & tuum aſſere.

FINIS.